



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ad Antonium Verjusium S. J. Poëtis ad scribenda Carmina  
tempus non esse præscribendum**

**Santeul, Jean de**

**[S.I.], 1670**

[Text]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13485**

A D  
ANTONIUM VERJUSIUM S. J.

*Poëtis ad scribenda Carmina  
tempus non esse prescribendum.*

**D**Esiste tandem me querimoniis  
Urgere crebris, optime V E R j u s I ,  
Plenum Deo, haud vilem Poëtam,  
Parce tuis onerare probris.

Non Iudus ille est, scribere carmina,  
Et digna tanto carmina Principe.

Nescis ! paramus FERDINANDO  
Perpetuis monumenta fæclis.

Nugas sonantes , splendida somnia ,  
Adblandientes auribus & modos ,  
Hæc vana cedamus Poëtis ,  
Quos recreat sine mente carmen.

At nos severi docta laboribus  
Cudenda longis carmina scribimus.  
Redduntur incudi impolita,  
Atque novis recoquenda flammis.

Nos Iudis, iras fingis amabiles ;  
Dic, te quot annos vidimus anxium ;  
Et te retractantem obstinatis  
Pura adeo tua scripta curis.

Celso ire Olympo non aliâ datur  
Viâ, quid urges ? ibimus improbos,  
Quo fama portat, per labores,  
Quo sibi fecit iter, potenti

Qui sacra vatum sceptrâ tenet manu,  
Lyræque princeps, Romulei arbiter  
Auctorque sermonis, latinis  
Omne venit decus unde Musis!

Quæ nata parvo tempore, VERJUSI,  
Cadunt eodem, par manet exitus  
Viles Poëtas, nox sub altis  
Longa premit tenebris sepultos.

Num FERDINANDI sparsa volumina,  
Jamjam per omnes splendida Gallias,  
Cudere noctes eruditæ,  
Tot PADERÆ monumenta magnæ ?

Cœlo erigendas Principibus domos

Non prima vidit , quæ posuit dies .

Quam Sequana allabens adorat ,

Vix LUPARAM posuere centum ,

Annique centum , frontibus arduæ

Illam nec Arces , nec Capitolia

Æquare contendant , trophæum

Pacis erit veniens in ævum .

Ne molientem magna supercilli ,

Alti Poëtam coge molestior :

Non iussa , nec leges vel audit

Indocilis mea musa flecti .

Prudens futuri , cuique dedit suum

Natura tempus , vina racemifer

Autumnus , & vectigal anni

Dat segetes bona semper Æstas .

Non id sacratis vatibus accidit .

Non certa magnis tempora ponimus

Cœptis . Supremis non Apollo

Arbitriis regit unus omnes ,

Quid est? morantem me rapit imperus,  
Da personantem Melpomene tubam,  
Vos FERDINANDUM vos Poëtæ  
Mille tubis celebrate vatem.

Se quanta toller gloria PRINCIPIS!  
Pertæsa longi musa silentii  
Erumpet, & vulgabit orbi  
Alto animo meditata, sacris

Cælanda Musis carmina, posteri  
Audite, ut Artes foverit optimas  
PRINCEPS, in omnes dum profundit  
Munificâ nova dona dextrâ:

Ut ille Martis pacifer impias  
Sedarit iras, sollicitus gregi  
Pastor tuendo, nunc sub alta  
Pace bonus, metuendus armis.

Sic olim Idumes corpora fortium  
Stravit leonum pastor, & aureo  
Rex ipse vates sic canebat  
Grandè sonans sua facta plectro.